

28. *De Civitate Cens-Kalan.*

Prima civitas hujus provinciæ quam inveni vocatur Cens scolan;¹ hæc civitas bene ita magna est pro tribus Venetiis,² distans a mari per unam dietam, posita super unum flumen, cuius aqua propter³ ipsum mare ascendit ultra terram bene xii dietis. Totus populus hujus civitatis totiusque provinciæ Manzi Indiæque superioris ydolatrat.⁴ Hæc civitas tantum navigium habet et ita magnum quod quasi aliquibus incredibile videretur, unde tota Ytalia non habet navigium ita magnum sicut hæc civitas sola habet.⁵ In hâc civitate haberri possunt bene trecentæ⁶ libræ zinziberis recentis minori uno grosso. In hac etiam sunt majores et pulchriores anseres ac melius forum⁷ quam hoc sit in mundo, unde unus illorum anserum est bene magnus pro duobus de nostris, totus albus ut lac, habens unum os super caput unius ovi quantitate, qui talis coloris est qualis sanguis est. Et hii anseres habent sub gulâ unam pellem per unum semissem⁸ pendentem; hii etiam sunt pinguisimi; unus quorum bene coctus et conditus minor uno grosso haberetur. Et sicut est de anseribus sic etiam de anatibus et gallinis, quæ illic sunt ita magnæ quod magnum mirum est. Hic etiam majores sunt serpentes qui sunt in mundo; hii multum capiuntur ab istis a quibus postea dulciter comeduntur. Unde in tam sollempne ferculum habentur ii serpentes, quod faciens fieri convivium unum⁹ de istis non habens serpentibus nil facere diceretur. Hæc etiam civitas magnam habet habundantiam omnium victualium quæ sunt in mundo.

30. *De nobili civitate Zayton et de pastu ydolorum.*

De ista contrata recedens et inde transiens per multas terras et civitates, veni ad quamdam nobilem terram nomine Zayton.¹⁰ In qua nos fratres minores habemus duo loca; ad quæ portavi ossa illorum nostrorum fratrum minorum qui passi fuerunt martirium pro fide Jhesu Christi. In hac civitate est copia omnium illorum quæ sunt necessaria humanæ vitæ.¹¹ Nam tres libræ et octo uncziæ zuchari minori dimidio grosso¹² habentur ibi. Hæc civitas magna est sicut bis esset¹³ Bononia. In hac multa sunt monasteria religiosorum qui ydola universaliter adorant. In uno autem istorum monasteriorum ego fui in quo bene erant tria milia religiosorum habentium¹⁴ xi millia ydola;¹⁵ et unum illorum ydolorum quod minus aliis esse videbatur erat bene ita mag-

¹ *Ven.* Conscala; *Ut.* Censcula; *Far.* Censcalam; *Hak.* Censkalon, also *Mus.* *Boll.* Soustalay (*probably misread*); *Marc.* Censcalan.

² *Ven.* quæ est in triplo major Vincencia; *Ut.* as in text; so also *Far.*; and *Mus.*, though in another place.

³ *Far.* has prope; *Hak.* prope mare cui contiguatur (?); *Mus.* cuius aqua propter mare ita contiguum bene per XII dietas super ipsam terram ascendit. *Boll.* as in text.

⁴ *Ven.* Ydola colit.

⁵ This last comparison is omitted by *Hak.*

⁶ *Boll.* centum libræ.....uno minori grosso Veneto.

⁷ *Ven.* in meliori foro; *Hak.* maius forum (*probably misread*).

⁸ *Hak.* et *Mus.* semipedalem.

⁹ *Mus.* has unum ad minus (*au moins*).

¹⁰ *Far.* Caicham; *Mus.* Kaycon; *Hak.* Kaitam; *Boll.* Saiton; *Marc.* Zaitan.

¹¹ *Hak.* pro lenissimo foro.

¹² *Ut.* minori pretio uno grosso.

¹³ *Mus.* ut fideliter assero.

¹⁴ *Boll.* sub curâ suâ.

¹⁵ *Far.* omits the millia.